

Augustini lib. 4. de doctrina Christiana cap. 12. Quare nisi hoc præstet Ecclesiastes, vt solide ac neruose doceat, & perspicue intelligatur, cætera omnia erunt frustra. Nemo enim delectatur aut mouetur ijs, quæ non intelligit. Vnde docere necessitatis esse dicunt. Sic Paulus se docuisse testatur *Actor. 20. vers. 20. 26.* cum senioribus Ephesinis dicit, se nihil subterfagisse quo minus ipsis annuntiaret omne consilium Dei. Deinde requiritur in concione iucunditas quædam & gratia, non quæ inani verborum sono, aut calamistrato dicendi genere aures tantum titillet, sed qua doctrinam saluberrimam & iucundissimam eo sermonis genere proponat, quo corda suauissime tingantur & imbuantur, indeque lætitia spiritali perfundantur. Multum enim refert, vt concionator hoc efficiat apud suos auditores, vt illi cum Jeremia d'cere possint: *Verbum tuum fuit mihi in gaudium, & in lætitiã cordis mei.* Flexio denique in eo consistit, vt concionator animos auditorum inducat ad sollicitudinem consequendæ salutis, ad dolorem & contritionem propter admilla peccata, ad odium peccatorum, ad amorem pietatis, ad metum diuini iudicij; ad spem misericordiæ apud Deum impetrandæ, ad charitatem & commiserationem erga proximum, & qui his affectus sunt similes. Hac de re *Augustinus* loco paulo ante citato sic ait: *Sicut delectatur auditor, si suauiter loquaris: ita flectitur, si amat, quod polliceris: timeat, quod minaris: oderit, quod arguis: quod commendas, amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lætandum prædicas, gaudeat: misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandiloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non, quid agendum sit, vt sciant, sed vt agant, quod agendum esse iam sciunt.* Huiusmodi flexionis illustre exemplum nobis exhibet concio illa Petri, in die pentecostes habita *Actor. 2.*

C A P. IV.

De subiecto Rhetoricæ Ecclesiasticæ.

P R Æ C E P T A .

Subiectum Rhetoricæ Ecclesiasticæ est informationis, tractationis & operationis.

Subiectum informationis est concionator.

Subiectum tractationis est concio sacra, cuius videnda dignitas, difficultas, & virtus.

Subiectum operationis totale est Ecclesia seu populus Dei, partiale est quilibet auditor: qua de re vide cap. 2. preced.

B

R E G V .